



Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

11 Simonia est, resignare beneficium litigiosum, vt resignatarius euicta lite pensionis constitutioni consentiat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13903

quæ alter eorum altero desistente obtinet victoriam & possessionem pacificam adeptus, præfatam pensionem alteri soluere renuit; vt tamen alter a minus litigandi, quas faciebat, cessaret, mille aureos ei dat pro impensis, & laboribus ante, & post prædictam conventionem factis ante beneplacitum Papæ impetratum, quod postea impetrare non curauerunt; simoniam conventionalem commississe censendi sunt; eo quod conventio illa quoad penam Papæ beneplacito subiecta non fuit; voluerunt enim, vt pena, sub qua se obligauerunt, valeat, esto non accederet beneplacitum Papæ; Et præterea ex alio capite conventio hæc simoniaca est, quatenus nimirum datum, & acceptum fuit adiutorium promissum ab vna parte, antequam beneplacitum Papæ impetraretur; secus si postquam prætitum fuerit; ex Nau. in Man. cap. 23. nu. 108. qui enim promittit dare centum pro beneficio sibi conferendo, si Papæ placuerit, & non alias, & soluit illa pro ipso ei collato, antequam placeat Papæ; a simonia non excusatur: Positum enim sub conditione nihil ante illius eventum operatur. cap. si prote. de ref. in 6. d. omnis. Infti de verb. oblig. Fuit autem simonia conuentionalis tantum; non autem realis, eo quod ab vt aq. parte impleta non fuit; quamuis enim vnus eorum pro sua parte impleuit, alter tamen non impleuit, qui pensionem illam post beneficij consecutionem soluere noluit, & præfatos aureos dedisse censetur pro impensis, & pro vexatione iniusta redimenda, quam probabiliter timebat, quod est licitum c. dilectus 1. de simonia. vnde penas contra simoniacos latis non incurunt.

DECISIO VII.

Ex cons. 7. alias 2.

Cum sacris canonibus a Concilio Tridentino scilicet 22. cap. 1. de ref. & scilicet 24. cap. 14. de ref. approbatis, & innovatis, cautum sit, ne aliquid pro institutionibus, vel collationibus beneficiorum accipiatur, saltem in pios vsus non conuertendum, cap. ex multis. 1. q. 3. cap. instituatur. cap. cum in ecclesie. & cap. iacobus de simo. & Notarius non potest magis pro calamo, quam Episcopus pro ordinatione, & institutione, capere: cap. 1. de simon. & cap. sicut episcopus. 1. q. 2. Non potest Secretarius Cardinalis Rom. scutum vnum pro subscriptione, & Registratura Bullæ prouisionis beneficij ecclesiastici, & alterum scutum pro impressione seu appensione sigilli in suprascripta Bulla, accipere dummodo nullum alium laborem in Bulla adhibeat; quicquid consuetudo talis ibi vigeat cum talis consuetudo etiam immemorialis a Concilio Tridentino sublata sit.

DECISIO VIII.

Ex cons. 8. alias 6.

Habens indultum ad conferendum beneficia cuiusdam ecclesie & vacante canonicatu eiusdem ecclesie illum suo familiari confert cum conditione, vt ipse eum daret alteri reseruata sibi pensione centum aureorum, & si maior pensio constitui posset illa referretur alteri, qui familiaris canonicatum præfatum acceptans illum alteri renunciat reseruata sibi pensione etiam centum aureorum cum conditione, vt reliqua maior pensio quæ imponi posset, referretur cui vellet ille habens indultum: simoniam non solum conuentionalem sed etiam realem committit; eo quod inter habentem indultum, & familiarem suum interuenit pactum conferendi talem canonicatum & beneficium suo familiari, & vt familiaris illum renunciet reseruando sibi pensionem centum aureorum, & alteri quicquid amplius reseruari posset quod pactum, cum ex parte habentis indultum fuerit in totum completum, & ex parte familiaris saltem ex parte, sufficiens est ad simoniam realem constituendum, ita Nau. in Ma. cap. 23. num. 105.

DECISIO IX.

Ex cons. 9. alias 16.

Renunciens beneficium principaliter, vt detur alicui idoneo, cum sp. minus principali concepta, quod erit ei gratus, sine qua non ei renunciaret, nullam simo-

niam committit: sicut neque e contra simoniacus est, qui recipit beneficium ex tali renunciatione; eo quod simonia non est dare spirituale minus principaliter ob aliquod temporale: neque e contra dare, aut facere aliquid temporale minus principaliter pro spirituali: ex Nau. in Man. cap. 23. nu. 100. Neque simonia est resignare spirituale, & illud acceptare principaliter ob amicitiam, & beneuolentiam, quæ sunt bona inæstimabilia, sperando mediâ & minus principaliter aliquod temporale, ex illa beneuolentia: ita S. Tho. 2. 2. q. 78. art. 2. & licitum est dare, aut facere aliquid temporale, principaliter ad alicuius amicitiam & beneuolentiam, quæ sunt bona inæstimabilia, querendam sperando exinde mediâ, & minus principaliter, aliquod spirituale donum factum. vt ait S. Tho. vbi supra & Caiet. ibi. Fel. in ca. ad audientiam 2. de ref. & Nau. in Man. cap. 23. nu. 106. Quæ de causa licitum est seruire Prælati minus principaliter ob beneficia consequenda etiam si non seruiunt illis, si alias illa non sperant. cap. constituit. d. 74. & cap. ad nostram de elect. glo. in cap. cum sicut. de simo. Sicut etiam licitum est clericis seruire Deo in ecclesijs ob spem ascendendi ad dignitates earum. cap. si officia d. 59 & cap. consulere. d. 74. Neque simonia est dicere Missas, quas non dicent; si solitæ prout eis non darentur; Neque simoniæ damnâdi sunt qui principaliter surgunt ad horas propter Deum, & minus principaliter propter distributiones, etiam si ad illas non surgerent, nisi illas lucraturos se sentirent. ex S. Tho. quodlibet 8. artic. 2. & Maior. 4. d. 21. q. 1.

DECISIO X.

Ex cons. 10. in vtrisque.

Patronus ecclesie cathedralis aliquem præsentare promittens, & præsentandi cognatus rogatus a patrono, vt in gratiam prædictæ promissionis aliquam ei pecuniæ summam concedat, quam ipse dat, sed prædictus patronus antequam illum præsentat, moritur, & sic promissio nullum sortitur effectum; si postea præsentandus a suo cognato rogatus dictam summam ei soluat, ne cognatus dânum sentiret, quamuis in hoc eventu prædictus patronus, & cognatus præsentandi simoniam conuentionalem ex vna tantum parte completam commiserint; ipse tamen præsentandus nullam exinde simoniæ labem incurrit, ex eo quod soluit cognato pecuniâ, quam contemplatione ipsius, ipso præsentando ignorante, patrono cognatus prius dedit, ne a promissione Episcopatus retrocederet; quia non soluit pecuniâ ab ipso datam eo sine, vt simoniam a cognato, & patrono commissam approbaret, sed longè alio, videlicet ne cognatus iacturam aliquam in pecunia amicæ eius causa insumpta patiatur, intendendo pro fine principali amicitiam, & gratitudinem quam amor ille merebatur, quo cognatus ad illam pecuniâ ipsius causa dandam mouebatur, licet illa datio sibi displiceret, & eam damnaret, quæ datio facta a cognato solum causa impulsiva, cur dictus præsentandus pecuniâ hanc cognato suo soluit, non autem finalis, & principalis censi debet; causa vero talis impulsiva simoniam non inducit: vt ait Nau. in Man. cap. 23. num. 100. præsertim cum præsentandus iste, simoniam illam inter cognatum & patronum ante commissam ignoraret, donec is, cui facta fuit promissio, mortuus fuerit, nihilque ex huius pecuniæ solutione assequi sperat.

DECISIO XI.

Ex cons. 11. alias 35.

Resignans beneficium litigiosum sub conventionem, vt resignatarius euicta lite constitutioni pensionis consentiat, subsecuta victoria, & pensione soluta, simoniam realem committit, ob quam ipso iure censuræ, & alię pœnæ incurruntur: cap. de simoniace, & cap. de regularib. de simo. & Na. in Ma. c. 23. nu. 100. & 111. & resignatarius beneficio renunciare tenetur, nec fructus adeptus sine noua prouisione retinere potest.